



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Illvstri Regi Aragonum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

vit, captisque ferè quingentis tum civitatibus tum castellis, quæ per possessos suos diabolus habitabat, spiritui paraclito in repletis suis sanctum est ibi habitaculum reparatum. Cum igitur terra ipsa taliter ab hæretica pravitate mundata dilecto filio nobili viro Simoni de Monteforti superno consilio sit commissa, & non solum ad eam in sancta religione servandam, verum etiam ad extirpandas reliquias hujus pestis, Christianæ fraternitatis ei necessarius sit succursus, parumque prodest lolium de una parte messis avelli si radicaturum in alia transplantetur, imperialem magnificentiam rogamus attentius & monemus, in remissionem tibi peccaminum injungentes quatinus orthodoxæ fidei zelo succensus, per vires & viros imperij tui subditos necessarium opis & opum consilium & auxilium illuc pro tantæ opere pietatis promovendo transmittas, & si quos hæreticorum exinde depulso confugere contigerit in imperium, non solum recipi non permittas eosdem, verum etiam piissimam Augustorum in eos facias exerceri censuram, ut per hæc & alia bona quæ Domino feceris inspirante augeat tibi Deus & gratiam in præsentem & gloriam in futuro. Datum ut in alia, anno duodecimo.

*ILLVSTRI REGI  
Aragonum.*

*Epist. 115.  
De eadem re.*

**L**icet ad promovendum quælibet opera pietatis prompta debeat regalis celsitudo consistere &c. ut in alia usque transplantetur, regalem magnificentiam &c. usque per vires & viros potentia tua subditos &c. ut in alia usque verum etiam piissimam sacræ legis in eos facias exerceri censuram &c. ut in alia usque in futuro. Illud autem te ab hujusmodi non revocet pietate quod pro suspecto paganorum incursu ad exterminandum pestilentes jamdictos tibi sit opera minor danda, cum etiam reputandi utriusque sint hostes, quanto ex his exonerare tibi curaveris unum latus, tanto aliud possis adversus aliorum machinamenta firmare, illo insuper ad tuam fortitudinem accedente, quod in loco vicinorum hæreticorum catholicos amodo vicinos habebis, & tales quorum obsequia domi militiæque gratiosiora tibi esse poterunt quam illorum. Datum ut supra.

*In eundem modum scriptum est illustri Regi  
Castellæ.*



*ABBATIBVS ET ALIIS  
Ecclesiarum Prælati in partibus Narbonensibus, Biterrensibus, Tolosanis, & Albigensibus constitutis.*

**O**pravimus ut orthodoxæ fidei subversores, qui se in partibus vestris à communionem fidelium præciderunt, non solum ea quæ sua dicebant, hæreticam pravitatem imitando, non perderent, sed ad puritatem catholicam redeundo, nobiscum in caritate ac pace quæ nostra sunt etiam possiderent. Verum quia propter impenitentem cor eorum super iniquitates suas Dominus de cælo prospexit, ad exterminationem suam rerumque publicationem suarum secundum constitutiones civiles & canonicas est processum; ut, quemadmodum scriptum est, impiorum spolia iusti tollant, & divitias thesaurizent ipsorum. Licet igitur ea quæ apud vos quidam hæretici deposuisse dicuntur, sicut & alia res eorum, pro confiscatis sint merito computanda, quia tamen Christianæ religionis non est ex occasione legalium præceptorum obtentu cupiditatis hoc fieri quod potius causa debet correctionis impleri, universitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus ea quæ penes vos ab hæreticis sunt deposita, nisi forsitan ad hoc præmoniti sine dilatione curaverint ad Ecclesiæ unitatem redire, ut sic de miserationem Domini multitudine sit cum eis misericordia facienda, dilecto filio nobili viro Simoni de Monteforti, cui terra de hujusmodi pestilentium sordibus expiata noviter est commissa, cum consilio & mandato Legatorum nostrorum assignare & tradere procuretis, in pios usus pro publicis ejusdem terræ utilitatibus expendenda. Datum ut in aliis.

*ABBATI SANCTI VICTORIS,  
& sanctæ Genovesæ & sancti Victoris  
Prioribus Parisiensibus.*

**A**ttemptantes devotionem dilecti filij nobilis viri Roberti Malivicini, qui orthodoxæ fidei zelo succensus contra pestilentes hæreticos non solum laudabiliter jam pugnavit, verum etiam constanter disponit amodo ad ipsorum exterminationem intendere, terram de qua per manum Domini sunt depulsi cum aliis catholicis habitando, dignum duximus eum pro ecclesiastica libertate pugnantem Ecclesiæ patrocinio confovere. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus si quis cum ac